

## §. 18.

Radicibus tali modo incrassatis, truncoque abbreviato; rami quoque decurtati sunt. Quo factum est, ut folia, quæ analogiam trunci sequuntur, latitudinem magis quam longitudinem conformata, orbiculatam potius, quam lanceolatam assequantur figuram.

Sic *Salices herbacea*, *polaris* et *reticulata*, in summis alpium cacuminibus folia habent orbiculata vel subrotunda; in sylvis autem *S. herbaceæ* cordata sunt, *polaris* ovata et reticulatæ elliptica. *Sal. lanata* in alpibus foliis subrotundis, in sylvis interdum lanceolatis instruitur. *Sal. glauca* foliis obovatis est in alpibus; in sylvis autem præsertim ad ripas fluminum, anguste lanceolata habet. *Salix myrsinites*, summo alpinum jugo foliis orbiculatis obvenit; ceterum adeo humilis atque depressa, ut a *Salice herbacea* vel *polaris* ægre discernatur: eadem species in campis convallium foliis ovatis, acutis invenitur, quo frutex dimidiam hominis altitudinem nonnunquam assequitur. Deinde in paludibus frigidissimis, sphagnoque repletis, quo subterraneum gelu numquam liquescit, eadem Sa-

---

mitatem versus abbreviata, ut conica fere appareat arbor; quasi alia esset circa radicem temperies, atque interstitium, quod est a medio ad summitatem arboris.